DE

# ANGINAE MEMBRANACEAE VARIETATIBUS.

# DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

[G]RATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

**MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES**

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE VIII. M. AUGUSTI A. MDCCCXXXIX

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

**Loebellus Ehrlich**

SILESIUS.

Opponentibus:

M. PEISER, med. et chir. Dr.
S. EPHRAIMSOHN, med. et chir. DD.
E. JAGEMANN, med. Cand.

**BEROLINI,**

**Typis Fratrum Schlesinger.**

VIRO

ILLUSTRISSIMO AMPLISSIMO HUMANISSIMO

# C. G. U. WAGNER,

HILOSOPHIAE AC MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOC-
ORI, MEDICINAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO,
STITUTI CLINICI MEDICI IN NOSOCOMIO CARITATIS
EROLINENSI DIRECTORI, AQUILAE RUBRAE IN CLASSE
ERTIA EQUITI CUM LAURO, REGI A CONSILIIS ME-
CIS INTIMIS, URBIS BEROLINI MEDICO FORENSI,
OLLEGII TECHNICI DE REBUS MEDICIS RESPONDEN-
S IN REGIO MINIST. RERUM SACR. ET INSTITUT.
UBLIC. AC RERUM MEDICINALIUM SOCIO, COLLEGII
UPREMI EXAMINIBUS MEDICIS HABENDIS CONSTITUTI
OCIO, SOCIETATIS SCIENT. NATUR. ET MEDIC. BERO-
NENSIS, MED. CHIRURG. HUFELANDIANAE, ACADE-
AE REGIAE MEDICAE PARISINAE, SOCIETATUM FA-
ULT. MEDIC. PARISINAE, MEDICAE HOLMIENSIS, ME-
C. CHIRURG. LONDINENSIS, PHYS. MEDICAE ERLAN-
ENSIS, MEDIC. AEMULAT. PARISINAE, NAT. SCRUTAT.
ARBURGENSIS SOCIO, SODALITII MEDIC. BORUSSICI
DALI, SODALITII BADENSIS MAGISTRATUUM MEDI-
RUM MEDICINAE PUBLICAE INCREMENTIS ADJUVAN-
DIS CONSTITUTI SODALI HONORARIO ETC. ETC.

PRAECEPTORI SUMME COLENDO

NEC NON

PARENTIBUS

OPTIMIS, CARISSIMIS

AD CINERES USQUE COLENDIS

HASCE

**STUDIORUM PRIMITIAS**

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTO[R]

Angina membranacea, morbus satis quidem notus et symptomatibus pathognomonicis nequaquam destitutus, plures tamen interdiu offert varietates, medico observanti haud raro occurrentes, quarum accurata distinctio et ad prognosin statuendam et ad dirigendam curam haud parvi est momenti. Quas hic varietates paucis exponere sum conatus; quantum vero conamini satisfecerim meo, ut ipse judices, lector benevole, tibi relinquo. Neque tamen omnia morbi symptomata atque curandi rationem, quippe quae notissima sint, repetere est in animo, sed id potius videbo, quomodo singulae varietates inter sese differant; de curandi vero ratione ea tantummodo commemorabo, quae in singulis formis necessaria videantur. Formae sunt, quae sequuntur:

### A. Bronchitis exsudativa.

Hunc morbum longiore ex tempore tussis antecedit, quae nonnunquam jam quatuordecim dies perduraverat, priusquam

accumulatio. Quod remedium postquam effectum praestitit exspectatum, tunc Mercurius dulcis dosibus paulo majoribus in usum vocandus est; expectoratio vero si melius procedit, tunc tartarus stibiatus, dosibus refractis adhibitus, ad mucum solvendum jam sufficit, omisso Mercurio dulci, reiteratis remediis emeticis diebus alternis. Derivationes ad cutem, uti semper, sic etiam in hoc casu effectum praebent aptum.

### B. Laryngitis exsudativa.

Febris nulla; infantes, morbo correpti, hilares sunt, edunt, bibunt, ludunt, omnino bene se habent. In paroxysmis tantummodo asthmate vexantur; paroxysmo autem praeterito mox reficiuntur, nec quidquam morbosi in iis animadvertitur. Pulsus tantummodo inter paroxysmos frequens est; parvus et spasticus; in intermissionibus vero normalis est, vix paululo frequentior. Inter ipsas remissiones stadii secundi pulsus insignis apparet majore frequentia, donec in stadio tertio parvus et frequens evadat atque maneat, usque dum mors, pulsu intermittente, statui miserrimo imponat finem. Sin vero nobis contingit, id quod haud raro fit, ipso stadio tertio vomitum ciere, tunc pulsus iterum magnus evadit et plenus et tardior, ac respiratio sibilans breve per tempus cedere potest, quin neutrum, praecipue tussi sicca persistente, spem augeat. Vomitu, inter tertium stadium interdum sponte intrante, semper

concrementa membranacea vel ipsae membranae evacuantur (quod nonnunquam etiam vomitu arte excitato fieri solet; plerumque autem parva tantummodo copia muci tenacis eliminatur). Morbi decursus semper quidem plus minusve acutus, nunquam tamen acutior, quam bronchitidis exsudativae. Post hunc morbum infantes celerius convalescunt, quam post bronchitidem exsudativam. — Caussa frequentissima etiam hujus morbi refrigerium quidem est, a aëris constitutione regnante, quae organa respirationi inservientia afficiat. Haud parvi tamen momenti in causis, hancce morbi speciem gignentibus, extat tempus dentitionis. Infantes, novem menses usque ad unum annum nati, saepissime hoc morbo laborant, uno vel pluribus dentibus gingivam perforaturis. Nonnunquam morbus tantummodo evanescit, postquam dentes apparuerunt. — Prognosis stadiis posterioribus semper est valde dubia, quid? quod ne expectoratione quidem bene procedente, faustum eventum sperare licet. Vulgo autem prognosis eo pejor redditur, quod parentes periculum imminens haud praevidentes, paroxysmis brevibus verisque intermissionibus decepti, non prius auxilium petunt, quam quum omnia serius adhibentur. — Formae autem, quae in laryngitide exsudativa praesertim primis ejus stadiis occurrunt et bene distingui possunt, hae sunt:

### 1. Laryngitis exsudativa sthenica.

Infantes, qui hac morbi forma corripiuntur, fere semper sunt robusti beneque nutriti, plerumque sexus masculini. Quibus refrigerium etc. perpessis, mox paroxysmus vehemens intrat, qui saepe noctu primus apparet et per horam unam vel duas perdurat. Intermissio subsequens pura quidem est, sed brevis tantum, nam paucas post horas alter paroxysmus revertitur prioreque durat longius. Asthma inter paroxysmum ipsum est ingens; morbi decursus rapidus, nam post paroxysmum jam alterum vel tertium incipit stadium secundum. Remissiones omnino brevissimae sunt et breviores adhuc fiunt, ita ut intra paucos dies morbus ad finem decurrerit. — Prognosis igitur valde dubia statuenda est, praesertim quod prima stadia tam celeriter praetereunt. — Pro rapiditate decursus morbi etiam cura haud minus promta et larga esse debet. Quamobrem hirudines applicandae, remedia emetica, e cupro sulphurico parata, sese celeriter excipiant. Morbi vehementia fracta, tartarus stibiatus et Mercurius dulcis sufficiunt.

### 2. Laryngitis exsudativa erethica.

Infantes teneres, constitutione nervosa, ad sexum sequiorem pertinentes, huic morbo plerumque subditae sunt. Paroxysmum primum etiam tussis catarrhalis per nonnullos dies antecedere potest. Qui insultus longius perdurat, quam in

forma priori, horas adeo duas ad quattuor. Quem autem excipit intermissio longa, ubi tussis a solita non differt. Neque vox neque respiratio a statu normali decedunt et modo interdum per nonnulla momenta vox paululum altior auditur et tussis aliquantulum rauci habet et latrantis. Pulsus inter primum paroxysmum et mox post eum paulo frequentior, ciborum appetentia et reliquae functiones omnino non turbatae, paulatim pulsus tranquillior evadit normalemque praebet indolem. Tempore nonnullo peracto, vulgo post horas XXIV paroxysmus apparet secundus, quo dyspnoea ad magnum evehitur gradum et longius, quam prima vice, perdurat. Post hunc etiam paroxysmum infantes mox reficiuntur perfectaque gaudent intermissione, donec post alterum nycthaemeron (angina membranacea intermittens) vel post brevius intervallum paroxysmus tertius exoriatur. Paroxysmis hoc modo anticipantibus atque intermissionibus haud amplius liberis, morbus paulatim in stadium secundum et tertium transit. — Prognosis initio morbi optima statuenda est neque ullus morbus hocce facilior est superatu; atque inprimis ideo eventus bonus praesagiri potest, quod stadium primum tam longe perdurat, quin per quattuor vel quinque dies protrahitur. Stadiis vero prioribus neglectis, eo pejus cum aegroto agitur, quo major ad statum nervosum est propensio. — Curatio secundum indicationes esse debet anti-

spasmodica, alterans, facileque per remedium emeticum, e cupro sulphurico paratum, perficitur. Simul alvus solvenda clysmatibus vel remediis laxantibus, nec non vesicatorium ad laryngem ipsum est applicandum. Hirudines primo morbi stadio non solum supervacuae, sed noxiae sunt, quum aegrotum nimis debilitent. Sin vero post uberam evacuationem, sursum perfectam, nihilominus paroxysmus secundus et tertius intrant, tum remedia emetica, e tartaro stibiato parata, sufficiunt et saepissime jam duo vel tria ad morbum tollendum suppeditant. Stadiis posterioribus curandi ratio non differt ab illa methodo in forma priori.

### 3. Laryngitis exsudativa asthenica.

Haec morbi forma infantes plerumque cachecticos, atrophicos vel male nutritos, uno verbo constitutione misera praeditos corripit, in quibus naturam vires deficere videantur, quin satis fortiter reagat meramque inflammationem producat, ubi igitur quaevis inflammatio characterem lentescentem induit. Morbus per longius tempus perdurat, et, exitu etiam infausto, saepe per hebdomadem remanet; ipsum stadium tertium per biduum vel triduum protrahitur. Morbus noster paullatim tantummodo increscit; infantes tussi sicca, rauca corripiuntur, haud raro asthmate, nequaquam tamen inspiratio eximie sibilans est ipsaque haec sibilatio in diem disparet, ita ut in stadio tertio

demum alta potius respiratio stertorosa audiri videatur; tussis mature jam solvitur et libenter in vomitum spontaneum transit, quo tunc magna muci et membranarum copia, quae vero post aliquod tempus regeneratae iterum ejiciuntur, donec morbus aut in sanitatem aut per suffocationem in mortem transeat. — Prognosis hic in stadio primo pejor est, quam vel in eodem stadio primae formae, quia morbus tam celeriter sicuti in illa removeri nequit, et sequelae morbi in aegroto semper longius per tempus postea remanent. In stadio autem tertio prognosis omnino melior est, quam in prima forma, quia medico tempus praebetur longius ad dimicandum morbum et infantes non tanta cum vehementia morbo corripiuntur. — Morbus si longius tempus perdurat, inprimis in constitutione aegroti simul debiliore, tum methodus antiphlogistica omnino non bene adhibetur ac hirudines igitur rarissime applicandae sunt; remedia emetica potius apta sunt initio morbi, e tartaro stibiato parata, et medicamina derivantia ad cutem. Stadio vero ultimo tartarus quidem stibiatus indicatus adhuc est, ut mucus vel alia removeantur, sed Mercurius dulcis unum est remedium, quo regeneratio exsudationum impeditur.

Quibus expositis, nonnullas morbi historias, cujus observandi cum medico practico, mihi amicissimo, erat occasio, hic adjicere liceat.

### I. Bronchitis exsudativa.

W. H. tres annos natus, puer robustus et bene nutritus, primo aetatis anno spasmis laboraverat, tempore dentitionis intrante, ac postea vermibus non caruerat (Oxyuris vermicularis et Ascaris lumbricoides), quamobrem plura remedia anthelminthica acceperat. Ex hebdomade puer tussi laborat et ex tribus diebus nonnunquam respiratio brevis intravit et tussis, antea soluta, sicca facta est. Quum aegrotum prima vice fortuito in statu remissionis viderem, respiratio fuit difficillima, semper sibilans, inter tussim audiebatur sonus ille anginae membranaceae peculiaris, et loquela magis raucedinis et fistulae indolem habuit. Pulsus frequentissimus, magnus, plenus, facies rubra, cutis sicca, sitis eximia, lingua muco albido obtecta, alvus quotidie soluta est. Nocte praeterlapsa, aegrotus muci magnam copiam vomitu, pluries reverso, evacuavit. Ordinatio fuit haec: Hirudines tres ad inferiorem colli partem applicatae sunt et interne:

Rcp. Cupri sulphurici grana decem
solve
aquae font. unciis tribus et dimidia.

D. S. Post quintum quodque minutum cochlear minus sumatur, donec vomitus pluries intraverit.

Post vomitum perfectum Mercurii dulcis grana quatuor intervallis horarum duarum porrecta sunt. — Hirudines magnam sanguinis quantitatem evacuarunt, vomitus sine difficultate intravit, post Mercurium dulcem adhibitum alvus saepius deposita est, excrementa magis liquida, viridia; post quas alvos depositas puer hilarior factus est, respiratio liberior, pulsus tamen, quamvis minor factus, tamen frequentissimus remansit. Vespertino tempore iterum paroxysmus intravit, respirationem difficilem reddens. Cuprum sulphuricum sine successu adhibitum est, quamobrem Mercurius dulcis solus et inter paroxysmum et inter remissionem, media nocte intrantem, porrectus est. Quum matutino tempore iterum paroxysmus intrasset, remedium emeticum ex pulvere radicis ipecacuanhae et ex amylo paratum praescriptum est, quo vomitus excitatus majores muci copias evacuavit. Neque respiratio amplius sibilans extitit, nec tussis, quae rarior et magis solubilis facta est, pulsus minus frequens. Interdiu puer semper melius sese habuit, loquela omnino normalis, sonus peculiaris inter tussim minus observatur atque paroxysmi, interdum intrantes, et extensitate carent et intensitate. Accepit puer post ternas quaternasve horas pulverem ex calomelane et saccharo albo paratum, et nocte intrante nonnullos pulveres ex ipecacuanha, qui mox effectum habuerunt exspectatum. Inter noctem puer, quum siti laboraret, relicto lectulo

a patre aquam petiit. Pater quidem puerum ad lectulum duxit, sed respiratio statim iterum sibilans facta est et symptomata periculosa majorem atque majorem ambitum adipiscebant, ita ut aegrotum matutino tempore pejus sese habentem, quam unquam, invenirem. Pulsus frequentissimus, facies maxime rubra, caput reclinatum, larynx valde prominens, respiratio frequens, maxime sibilans, tussis sicca, latrans etc. Caussa hujus recidivi quum ignoraretur (quae tandem patuit, quum puer sanitatem recuperasset) ipecacuanha iterum porrecta est, et quum effectus conspiceretur nullus, cuprum sulphuricum, cujus puer grana fere sex sumsit, quin vomitus intraverit. Experimenti potius causa iterum hirudinum tres ad collum applicatae sunt, neque minus sanguinatio cataplasmatibus emollientibus adjuta est; interne vero tantummodo calomelas adhibitum est. Pulsus jam multo tardior factus est, respiratio liberior et cupro sulphurico tunc adhibito, effectus exspectatus et sudor vaporosus intravit. Postridie tussis sono peculiari jam caruit, quamquam febris et calor nimius adhuc permanserunt. Calomelanos usu seposito tartarus stibiatus in solutionis forma partim ad vomitum ciendum, partim ad expectorationem promovendam, propinatus est; diarrhoea vero nimia intrante, medicamina omnino omnia omissa sunt. Diebus sequentibus ciborum appetentia jam apparuit

ed et tussis et febris, vespertino tempore intrantes, longius re-
ianserunt, quarum febris prior evanuit, deinde tussis.

## II. Bronchitis exsudativa.

B. K., unum annum et dimidium nata, habitu gracili et pro
etate corpore longo, saepius molestiis, quae vermibus effici-
ntur, laboraverat, ad quas tollendas parentes semina cinae in
sum vocaverant. Praeterea nullo morbo correpta erat. Ex
cto fere diebus tussi laborat, quae ex die hesterno pecu-
ariter latrans evasit; respiratio tam sibilans est, quam si aërem
icere nequeat. Quibus rebus a parentibus relatis, aegrotam
atim speculatus, faciem inveni rubram, respirationem brevem,
iperficialem, nec non sibilantem; pulsum frequentissime mican-
m, cutem siccam etc. Morbus quum nondum per longius tem-
oris spatium perdurasset, circa horam nonam et circa undecimam
medium emeticum, e cupro sulphurico paratum, ordinatum est,
quum alvus non solveretur, infans remedium purgans accepit.
mpore pomeridiano remedium emeticum, e tartaro stibiato
ratum, repetitum est, qua re facta respiratio sibilans sub
iperem omnino desiit, et tantummodo tussis latrans re-
nsit; eodem tempore pulsuum frequentia, calor universalis
non sitis increverunt. Interea tartaro stibiato, in dosi re-
ta adhibito continuatur; postridie tempore matutino ad vo-
im ciendum idem remedium porrectum est. Tussis quum

adhuc vehemens persistat, neque minus febris tempore vesp- tino exacerbescat, tartarus vero stibiatus nimias sedes pro- xerit, pulvis ex herba digitalis et sulphure aurato aa grani pa tem sextam post ternas horas porrectus est. Postridie res ratio iterum sibilans reddita est, quam ob rem hoc die remedi emeticum bis repetitum est. Ex hoc inde tempore aegrota ternis diebus remedium emeticum, e tartaro stibiato paratum quotidie pulverem, e sulphure aurato antimonii confectum accep quibus remediis mox febris et postea tussis omnino cesserun

### III. Laryngitis exsudativa erethica.

H. K. sex annos et dimidium natus, musculis minus, ossil vero eo magis excultis, matutino tempore paroxysmo angin membranaceae corripitur, quem parentes tussim simplicem bent. Ante et post meridiem puer adhuc ambulat, tussis v saepius per diem, et sub vesperem altera tussis intrat. ( demum tempore puerum vidi, cujus respiratio valde angusta sibilans fuit. Quum vero morbus adhuc esset in initio, pul indoles nondum alterata, remedium emeticum simplex suppo taturum creditum est, qua re tartari stibiati grjjj, pulv. r ipecacuanh. ʒj c. aq. font. ℥jjß mixta ordinata sunt. Q portio tota consumta est, quin vomitus sequeretur. Quam rem et quia respiratio adhuc sibilans remansit, hirudines No. ad collum applicatae sunt, neque omissum est, ut cataplas tibus emollientibus adhibitis sat magna copia sanguinis e vul

ribus eliceretur. Praeterea postridie hora quarta cuprum sulphuricum (gr. xv. in aq. font. ℥jjβ soluta) ad vomitum ciendum cochlearibus minoribus porrectum est, quo effectum est, ut hora septima morbus fere totus sublatus esset, quum et tussis solveretur neque amplius sonus anginae membranaceae peculiaris audiretur, pulsus et respiratio indolem normalem praeberent atque vomitu haud amplius materies mucosae, sed jam virides, biliosae evacuarentur. Remedium expectorans leve ad tussim tollendam propinatum est et die sexto aegrotus convaluit.

### IV. Laryngitis exsudativa erethica.

H. K., duos annos nata et dimidium, bene nutrita, quae vermibus jam saepius laboraverat, minus scrophulosa, jam varioloidibus laboraverat et post refrigerationem choleram sporadicam evicerat. Heri sub vesperem tussi correpta est, respiratio sibilans et brevis apparuit. Paroxysmus per nonnullas horas perduravit, post quem somnus tranquillus intravit et totum per diem nulla symptomata apparuerunt. Sub vesperem iterum tussis intrat, quae quum parentibus maxime innormalis videretur et asthma majorem ambitum acciperet, nocturno tempore auxilium medicum petebatur. Puer, in lectulo sedens, difficillime inspirat, respiratio sibilans est, sensus communis non turbatus, facies colore solito, pulsus mollis et paullulum tantummodo acceleratus. Puer, interrogatus, num dolorem sentiret, nec ne, motu quidem capitis negavit, ad loquendum vero omnino per-

moveri non potuit. Larynx ad pressionem non reagit. Par-
xysmus per quatuor fere horas perdurat et jam evanueta
quum remedium emeticum, ex tartaro stibiato paratum, porrig-
retur, quo vomitu magna muci copia ejecta est et quamqua
remedium statim sepositum est, tamen nauseam perpetuam, c
lorem et pulsum frequentem (ictus fere centum) reliquit. Tem-
pore pomeridiano infans iterum bene sese habuit, sed vesper
tussis rauca intravit, quae vero sono peculiari caruit et tan-
tummodo per nonnullas horas perduravit. Postridie vespertin
tempore idem status intravit, quamvis majore gradu, respirati
autem et ipsa iterum sibilans fit, qua de re die sequente reme-
dium emeticum porrectum est, et quum vespere sequente iterum
tussis apparuisset, remedium emeticum reiteratum est, qua r
facta paroxysmus nullus iterum intravit.

Ex multis casibus, qui eventum infaustum habuerunt, me-
moratu digni videntur hi:

### V. Laryngitis exsudativa sthenica.

H. B. duos annos nata, constitutione sat robusta, cetero
quin bene nutrita, ante annum unum et dimidium bronchitiden
feliciter superaverat, ex nonnullis vero diebus, qua jam in morb
superato laboravisset tussi, eadem excruciari dicitur. Infan
quum accuratius disquireretur, neque pulsus, neque facies to-
tusque aegroti habitus quidquam ostenderent morbosi, catarrhu
simplex tussis habita est, quam ob rem remedium emeticum,

tartaro stibiato paratum, praescriptum est, tempore autem pomeridiano tartaro stibiato dosi refracta continuabatur. Postridie hora quinta matutina celerrime medici auxilium petitum est, quoniam infans spiritum haud amplius ducere posset, quod etiam inveniebatur verum, angina quum jam ad stadium tertium pervenisset. Facies pallidior, quam rubrior, pulsus paullulum acceleratus et parvus fuit, qua re detractio sanguinis haud indicata videbatur et cuprum sulphuricum in usum vocabatur. Quod quum vomitum movisset, Mercurii dulcis grj post quamque horam propinatum est. Sub horam decimam antemeridianam pulsus irregularis atque intermittens evasit, infans, capite reclinato, non amplius loquitur. Contigit tamen post meridiem vomitum ciere, quo factum est, ut pulsus longe tardior atque regularior redderetur. Haud multo post dyspnoea, anxietas summa intrant, sudores frigidi, pulsus intermittens et hora septima mors. — Sectione partiali concessa, haecce reperta sunt: In membrana mucosa laryngis et tracheae nonnullae ramificationes vasorum, colorem rosaceum exhibentes, in conspectum venerunt; larynx muco aliisque formationibus anomalis omnino liber apparuit; in bifurcatione tracheae parva tantummodo muci copia, pulmones vero et inferior tracheae pars omnino normales inventi sunt, si nonnulla tubercula parva pulmonum nec non adhaesiones filamentosas pleurae costalis, quae verisimiliter a morbo pulmonum superato profectae erant, haud respicere velis.

## VI. Laryngitis exsudativa asthenica.

M. L., quae annum unum et dimidium agit, habitu maxime scrophuloso, male nutrita et debilior, ita ut adhuc incedere non valeret, ante paucos dies dentes duo nati erant; praeterea gingiva supra alios duos dentes tumefacta est. Ex prima inde dentitione saepius tussit, ex hesterno die respiratio sibilans perpetua accessit. Hora nona matutina, quum infantem prima vice vidissem, anginam jam in tertio stadio versantem inveni. Pulsus jam irregularis, quamquam ictus plurimi adhuc magni, pleni, molles et modice frequentes sunt, infans pallida, caput erectum jam sustinere nequit. Nihilominus tamen hirudo magna ad collum applicata et ad usum internum remedium emeticum, e cupro sulphurico paratum, propinatum est. — Hora duodecima hirudo bene quidem suxerat et vomitus largior intraverat, sed pulsus intermisit, et ictus plurimi parvi tantummodo fuerunt et contracti. Tussis sicca, respiratio difficillima et jam e longinquo audiri potest. Quae quum ita sese haberent, et symptomata spasmodica prae inflammatoriis praevalerent, medicamina antispasmodica ordinata sunt (Rcp. As. foet. ʒj, tere cum vitello ovi unius; sensim sensimque adde aq. commun. ℥j M. f. emulsio. D. S. Dimidia pars ad clysma, quod post horam bistertiam repetendum est). Cuprum sulphuricum iterum adhibitum est ad vomitum ciendum. Tempore pomeridiano majoribus muci quantitatibus per vomitum ejectis, pulsus magis

elevatus erat, ictus discreti et regulares. Tussis solvi incipit respiratio non tanto gradu turbata est, facies semper pallida, sudor et ipse deest. Clysmata breve tantummodo per tempus ab aegrota retenta sunt et dosis asaе foetidae ordinata, in tres partes divisa, ut adhiberetur, praescriptum est. Ob secordiam parentum aegrota remedium emeticum proxime praescriptum non acceperat, quum illam hora quinta viderem; neque ultra minutas quinque ad decem clysmata retinebantur. Respiratio magis sibilans est, pulsuum ictus haud amplius discerni possunt, intermittunt et irregulares extant. Tempore vespertino aegrota omnino multo pejus sese habet, quamquam vomitus pluries intraverat. Clysmatibus regulariter continuatum est, media nocte pulsus filiformis, manus sinistra algida, dextra vero calida, respiratio frequentissima et paullo post mors intravit.

# VITA.

Natus sum ego, Loebellus Ehrlich, fidei veteri addictus, anno hujus saeculi decimo quarto, Winscoviciis, vico circuli Rosenbergiensis, patre optimo Jacobo, matre dilectissima Perla de gente Joachimoviciana, ad cineres usque colendis.

Primis literis domi imbutus, Vratislaviam me contuli et primo scholam Guilelmam, quae vocatur, sub Francolm, viro doctissimo atque clarissimo, florentem, frequentavi; postea vero Gymnasium catholicum St. Matthiae adii, et testimonio maturitatis instructus ab Ill. Schneider t. t. Rectore Magnifico numero civium academicorum almae Universitatis Leopoldinae adscriptus, scholam medicam coram Ill. Benedict t. t. Decano maxime spectabili professus sum. Duobus annis praeterlapsis, Berolinum pro-

fectus, ab Ill. Busch, t. t. Rectore Magnifico et ab Ill. Müller t. t. Decano maxime spectabili in almam Universitatem Fridericam Guilelmam receptus sum. —

Per quadriennium studiorum virorum Illustrissimorum et Experientissimorum hisce interfui praelectionibus:

Ill. Rochowsky de introductione in philosophiam, nec non de Platonis Sophiste et Ciceronis Tusculanis, Beat. Wachler de hodegetice et historia literaturae, Ill. Braniss de logice et metaphysice, Ill. Stenzel de historia universali, Ill. Henschel de botanice, Ill. Glokker de mineralogia, Ill. Gravenhorst de zoologia, Ill. Mitscherlich de chemia et physice experimentali, Ill. Burmeister de historia naturali medica, Ill. Lichtenstein de zoologia, Ill. Müller de anatomia corporis humani et sensuum organorum. Ill. Schlemm de osteologia et syndesmologia, Ill. Steffens de anthropologia, Ill. Schultz de physiologia, Exp. Mitscherlich de materia medica, Ill. Hecker de pathologia universali, symptomatologia nec non de historia medicinae recentioris. Ill. Horn de therapia speciali nec non de morbis syphiliticis, Exp. Ascherson de chirurgia, Celeberr. Romberg de diagnostice, Beat. Gans de philosophia historiae.

Artem cadavera rite dissecandi Ill. Müller et Ill. Schlemm me docuerunt. Praxin medicam, chirurgicam, ophthalmiatricam et obstetriciam exercendam Ill. Wagner, Ill. Wolff, Ill. Trüstedt, Ill. Jüngken, Ill. Barez, Ill. Rust, Ill. de Graefe, Ill. Dieffenbach, Ill. Kluge me docuerunt.

Tentaminibus tam philosophico quam medico nec non examine rigoroso coram gratiosa medicorum facultate rite absolutis, spero fore, ut, dissertatione et thesibus defensis, summi in utraque medicina honores in me conferantur.

# THESES.

1. Omnis dolor status morbosi symptoma exhibet.
2. Omnes, quae adhuc de lienis functione viguerunt sententiae, hypoteticae sunt.
3. Vomitus non semper ventriculi est actus.
4. Mortem accelerare medico nulla conditione licet.